



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput VIII. a Augustinus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

## CAPVT VII.

Stephanus Papa.

**S**tephanus sanctæ Apostolicæ, & universalis Romanæ Ecclesiæ Episcopus: omnibus per diversas provincias constitutis Episcopis, in Domino salutem. Plurimum gaudemus in Domino, & in dono gratiæ ipsius gloriamur, quod fides vestra per bona opera crescit magnificè, & dilatatur amplissimè. Sed nimis affligimur, & tribulamur de vestra oppressione, super qua crebrior commeantium usque ad nos fratrum sermo perlatu est. Non oportuerat quidem ab illis, à quibus sustentari, & portari, atque honorari debueratis, tantis vos oppressionibus concuti. Quapropter necessarium est, ut remotis talium tergiversationibus, quibus venenosa malitia revelari, atque obscurari bonitas, & veritas tolet, adminiculum non modicum vobis à fidelibus impendatur, atque ab hac Apostolica Sede suffragetur, quos per divinam gratiam Christi auxilio dignum est adjuvari, ne in totius Ecclesiæ perturbationem imprudens procedat intentio, & ea, quæ à sanctis prædecessoribus nostris, & reliquis sanctis Patribus dudum fuerant prohibita, denuò reviviscant. Loci namque nostri consideratione compellimur, ea quæ ad notitiam nostram emendanda pervenerunt, propter Dominum non derelinquere, sed digna emendatione corrigere. Et si secularibus officiis ordo suus, & tradita à majoribus disciplina servanda est, quis ferat ecclesiasticos ordines temeraria præsumptione confundi, audita negligere, & emendanda non opem ferendo postponere? Audivimus enim, vos à quibusdam accusari, non tam pro vestra culpa, quam pro eorum libitu, ut vestra rapere possint: & ideo vos nimis affligi, & concuti in tantum, ut etiam à sedibus propriis pellamini, & tali occasione Ecclesiæ, facultateque vestre vastentur, ac deprudentur. Ista, charissimi, non oportet fieri, nec denuò replicari. Tamen necesse est, ut quæ tories usurpantur, sæpius replicentur, & prohibeantur. Nam quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis iniuste agitur, pro sacrilegio reputabitur, quæ sacra sunt, & violari à quoquam non debent.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> **Stephanus.**] In prima collectione, *sub hoc tit. c. 7.* legitur *Idem*: sed male, cum textus hic sit Stephani I. Pontificis, & non Bedæ. Verba quæ in præsentis referuntur, reperiuntur in epistola 2. ipsius Pontificis omnibus Episcopis missa, ex qua integram clausulam transcripsi. Stephanus hic I. Rom.

Pontifex, creatus die 19. Aprilis anno 257. Martyriusque conatus fuit die 2. Augusti anno 260. referunt Baron. & Corjolanus eo anno. Scripsit duas epistolas, quæ extant *tom. 1. Conciliorum Biniis*, & apud Baronium *tom. 11. annal. ex secunda transcripta fuit præses regula. Similis reperitur, in c. nulli 12. q. 2. b. Sacrilégio.* Sacrilégium quot modis committatur, expotui *in cap. cum sit 8. de foro compet.*

## CAPUT VIII.

Augustinus.

**Q**ui ex timore facit præceptum, aliter quam debeat, facit: & ideo jam non facit.

## NOTÆ.

2. <sup>a</sup> **Augustinus.**] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. cap. 10.* ubi notavit

Ant. Augustinus adhuc neminem indicasse, ubi verba hujus textus reperiantur. Gibalini credit, sententiam esse D. Augustini *in lib. de vera & falsa penit. cap. 4.*

## CAPVT IX.

Idem in libro de Sapientia.

**D**esinat peccator, quia offendens in uno præcepto, factus est omnium reus.

## NOTÆ.

1. <sup>a</sup> **Idem.**] Ita etiam legitur in prima collectione, *sub hoc tit. c. 11.* & apud Gratianum *in c. 1. de penit. dist. 1.* & extant verba hæc apud ipsum sanctum in *lib. de vera & falsa penit. cap. 14.* Facit D. Gregorius relatus à Gibalino *in præsentis.*
2. <sup>b</sup> **Omnium reus.**] Hæc verba sunt D. Iacobi in *epist. canonic. c. 2.* ubi ait: *Si autem personam accipitis, peccatum operamini redargui à lege, quasi transgressores. Quicumque autem legem ser-*

*vaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* Quæ sententia, quatenus vera sit, difficile est, siquidem multi unum præceptum violant, cætera vero servant: ergo illius tantum rei fiunt. Aliqui apud D. Augustinum *de vera & falsa penit. c. 14.* asserunt fieri omnium reum, qui omnia peccata dimissa, per ingritudinem quodammodo redeunt. Glosa Lyra & alii in dicta epistola D. Iacobi affirmant, fieri omnium reum, quia eandem penam damni incurrit, sc. privationem gratiæ, charitatis, virtutum moralium, infusarum, ac ipsius gloriæ, penite atque